

1979-05-02 – SS Ioannes Paulus II – Litttera ‘Plenam Supremam’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

PLENAM SUPREMAM

**LOCA NIGRITANAЕ REIPUBLICAE REGIONESQUE CIVITATIS
VOLTAЕ SUPERIORIS ABSTRAHUNTUR AB APOSTOLICA NUNTIATURA
DAKARENSI ET AD ABIDIANENSEM ADICIUNTUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Plenam, supremam et universalem, quam in Christi Ecclesiam habemus, potestatem exercentes, arbitrati sumus Sanctae Ecclesiae, quae est intra fines Nigritanos atque Voltae Superioris, aptius esse providendum aliterque de Nuntiatura Apostolica deliberandum. Eapropter, Sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide in consilium adhibita, re autem considerate ac mature perpensa, Nos de summa qua fungimur auctoritate hasce per Litteras Nostras ab Apostolica Nuntiatura Dakarensi loca seiungimus, quae «Niger» et «Haute Volta» complectuntur, eademque Abidianensi addimus Nuntiaturae Apostolicae. Haec edicimus et statuimus praesentesque Litteras, contrariis quibuslibet haud obstantibus, volumus firmas, ratas atque efficaces sive nunc sive in posterum esse suosque effectus plenos sortire et assequi necnon plenissime illis suffragare, quorum intererit, iisve qui id sua interesse contendere poterunt. Iudicamus autem irritum ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, qualibet de auctoritate, scienter aut imprudenter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Maii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a Publicis Ecclesiae Negotiis*